



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

10. De Temperantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

habitus inclinans ad recte se gerendum circa mala supra explicata.

QVÆSTIO XI.

De connexione virtutum moralium.

QVÆSTIO X

De Temperantia.

Quid
Tempe-
rantia.

64 *PER Temperantiam* hic intelligitur habitus ille, qui inclinatur ad moderate indulgendum voluptatibus gustus & tactus, secundum scilicet quod apparet honestum ac dignum homine iis indulgere, quique propterea mediat inter duos habitus; quorum unus retrahit hominem ab iis, cum opus est, capiendis, alter inclinatur ad capiendum plus quam, aut quando non oportet, & ex hoc ipso patet, quod sit virtus, & quidem particularis, ac distincta à reliquis, nempe à fortitudine, & iustitia, earumque partibus tam integris quam subiectiuis; neque enim vlla ex illis versatur circa hanc materiam.

Huius virtutis partes integrantes enumerant Conimbricenses *Verecundiam* & *Honestatem*, sed utramque sic describunt, ut non magis ad Temperantiam spectet, quam ad alias virtutes. Eatenus autem reuera spectant ad Temperantiam, de qua hic agitur, quatenus Temperans est, qui solet timere dedecus ex intemperantia proveniens, nam ex hoc timore rubor ille in facie excitatus oritur, quem cum videmus ex occasione materie Temperantiæ in aliquo excitatum, solemus vocare ipsum verecundum, & vel castum, vel inclinatum ad castitatem, quamvis & quis castus esse possit, in quo non excitaretur, & incastus qui facillime sic erubesceret; *Honestas* autem spectans ad Temperantiam, quatenus aliquo modo ab ipsa distincta esse potest, non videtur aliud esse quam habitus inclinans ad non libenter loquenda, nec audienda, nec tangenda, quæ spectant ad venerea, etiam cum delectationes non causarent quos enim tales videmus, honestos appellamus communiter honestate spectante ad iustitiam.

Partes
subiecti-
væ Tem-
perantiæ.

65 *Partes subiectivæ* Temperantiæ assignantur ab iisdem, & auctoribus communiter quatuor *Abstinencia*, quæ inclinatur ad comedendum temperate; *Sobrietas*, quæ ad bibendum.

Castitas, quæ moderatur voluptates venereas, *Pudicitia*, quæ modum ponit in signis provocantibus aut indicantibus illas voluptates, ut sunt aspectus, oculus, amplexus, conuersationes de talibus rebus; unde hæc videtur convenire cum Honestate, ut supra à me explicata est.

Scotus autem 3. d. 34. Temperantiam ut sic describit esse virtutem inclinantem ad bonum proprium per se primo conveniens, & eam dividit in habitum facilitantem appetitum in ordine ad honores appetendos debito modo, quæ vocatur Humilitatem, & in habitum, qui versatur circa delectationes, cui accommodatum est nomen Temperantiæ absque addito, quod tamen est etiam nomen Habitui ut sic respicientis bonum primo conveniens. Temperantia autem respiciens voluptates dividi potest in illam, quæ voluptates corporales, & quæ spirituales respicit, & quælibet ex his potest dividi in varias alias species pro diversitate voluptatum siue spiritualium siue corporalium, præsertim quando diversitas est tanta, ut ad aliquas moderandas posset aliquis esse facilis quin esset facilis ad moderandas alias; & hinc quia certum est posse aliquem esse castum, qui non sit sobrius, seu facilis ad abstinentiam à potu, sobrietas quæ est species Temperantiæ distinguitur à castitate, & quia potest quis esse castus & sobrius, qui tamen sit inclinatus ad audiendam musicam immoderate, propterea alia species Temperantiæ assignari debet ad temperandum appetitum huiusmodi voluptatis ex musica perceptæ; & rursus quia potest quis habere hanc etiam virtutem cum sobrietate & castitate, & tamen non esse facilis ad temperandum appetitum voluptatis perceptæ ex scientiis, propterea assignanda est alia species Temperantiæ ad hoc faciendum, quæ etiam nomen studiositatis habet. Aliæ species eius sunt *Ornatus*, qui corporis Habitum vestitumque moderatur, & *simplicitas*, quæ modum ponit nimie sollicitudini in huiusmodi rebus procurandis.

66 *H*anc quæstionem felse tractavi cum Scoto 3. d. 36. unde hic tantum compendiose proponenda est.

CONCLUSIO.

Virtutes morales appetitivæ verbi gratia Iustitia, fortitudo, Temperantia, non sunt sic connexæ, quin ex illis quilibet perfectissime non solum physicè, sed etiam moraliter possit acquiri sine alia. Ita Doctor supra cum omnibus suis & Nominalibus, quos sequitur Vasq. 1. 2. disp. 84. Asser. tom. 1. lib. 3. c. 29. q. 1. contra Thomistas communiter & plures Recentiores Salam, Conimbr. Valent. Suarezum.

Probatum primo, quia hæc virtutes sunt perfectiones realiter distinctæ, nec vlla ex illis est pars intrinseca, aut proprietas alterius; nec prorsus est vlla ratio necessariæ connexionis earum inter se, aut moralis, aut physicæ: ergo una potest perfectissime haberi sine altera, non minus, quam potest una scientia haberi sine altera.

Probatum secundo, potest quis habere occasionem temperate edendi ac bibendi, & considerare honestatem, quæ est in tali Temperantia, ab eaque moveri ad volendum temperate edere ac bibere, quin occurrat ipsi occasio exercendæ iustitiæ, aut fortitudinis, & quin considere honestatem, quæ est in exercitio earum, aut eam velint sed tum ager temperate ac virtuose, & per actum talem acquirere facilitatem sic agendi, præsertim si frequenter actus, ut eadem ratione facere potest, qua producit primum actum, & si eliciat actus intensos frequenter, ut etiam potest facere, si voluerit, acquireret habitum intensissimum Temperantiæ; sed tum ex hypothese posita non acquireret habitum iustitiæ aut fortitudinis: tales enim acquirere nequit nisi proponatur honestas earum: ergo potest perfectissimum Temperantiæ habitum acquirere absque habitu iustitiæ, aut fortitudinis, & consequenter vera est conclusio.

Responderi posset ex principiis D. Thomæ, ex hac probatione sequi quod possit habitus Temperantiæ in intensissimo gradu acquiri absque habitu iustitiæ, & fortitudinis, sed eum tamen in eo gradu non esse perfectam virtutem, nisi socias habeat alias virtutes seu habitus virtuosos.

67 *Contra*: quia præterquàm quod hæc responsio admittat reuera, quod nos prætendimus, quantum ad rem ipsam, & reducat difficultatem ad nomen solum, negando quod habitus intensissimus Temperantiæ, quem statetur posse esse absque habitibus iustitiæ & fortitudinis, sit perfecta virtus, quod manifeste ad nomen spectat; sed præter hoc inquam.

Contra est: quod male negetur sic vocari debere, nam ad perfectam virtutem, seu ad illud, quod perfecta virtus appellari potest, nihil requiri debet, nisi quod exigit definitio ipsius à Philosopho tradita 2. Ethic. 7. & ab omnibus admittitur, cuius sensus est, quod virtus sit habitus operativus, seu inclinativus ad operandum iuxta dictam sapientiam, seu prudentiam, hoc est iuxta dictamen recte rationis aut prudentiæ, ut ipsemet S. Thomas exponit: sed habitus ille Temperantiæ esset talis habitus, nam certe prudentia diceretur esse Temperate vivendum, & habitus ille Temperantiæ inclinaret ad sic vivendum: ergo esset perfecta virtus sine consortio aliarum.

68 *Respondet* Cæter. definitionem Philosophi sic intelligendam ut perfecta virtus sit illa, non quæ hic & nunc inclinatur ad recte operandum, ut faceret Temperantia sine aliis habitibus virtuosis, sed quæ inclinaret univ ersaliter in omni casu; sic autem non faceret Temperantia intensissima absque aliis habitibus.

Confirmat hoc quia mulier habens habitum intensissimum Castitatis facilitantem valde ad moderandas delectationes venereas, non faciliteretur per illud ad sic vivendum.